

Π κ
1816



M.

H
T

Q. 534. 52

B. M



H Y M N I
TRES IN NATIVITA
TEM DOMINI NOTRI
IESV CHRISTI
SCRIPTI

A
NICOLAO SEL
NECCERO.

VVITEMBERGAE.

1 5 5 4.



SEBASTIANVS THEO
DORVS VVINSEMIVS.

Χρῖσε θεῶ ἦός, μήτηρ ὄν παρθενοσ ἄγνη
ἐγκύμων τίκτη πνεύματῳ ἐξ ἁγίου,
ἀνθρώπων σωσορ συ ἐπί ξυρῶ ἦδη ἑόντασ,
σάρκα θνητογενῆ ὄυρ δια ἀμφίεσω,
εἰρήνημ αὐτοῖσ ἀποδώσ κερότροφομ αὐτοῖσ,
ἦδ' ἀπο τῆσ γαίησ εἰργε κἄκον πόλεμομ,
ὡσ' ἁγίου σῶ ρῆμα ἐνωτίζεωσ ἅπαντεσ,
δοξολογεῖντε ἀεὶ σῶ μεγάλημ δύναμιμ.

Chr
amio
trer
uel
nibu
eoru
& in
certa
inde
men
præ
do ta
exil
δῶσ
te ac
& ro
teris

CLARISSIMI VIRI, D^o

Ioachimi Camerarij filio, Ioachi-

mo Camerario, amico suo

Carissimo, Nicolaus

Selneccerus S.

Dimetros hosce Iambicos, uel, si ita
uidetur, hymnos in natiuitatem
Christi a me scriptos, tibi, Ioachime,
amice carissime, offero, non quod arbi-
tror munusculum esse satis conueniens
uel tibi, uel alijs tuæ conditionis homi-
nibus, sed quia nosti usitatum morem
eorum, qui mutuis studijs deuincti sunt,
& inter se eius modi genere exercitiij
certare solent. Neq; tamen dubito, te
inde collecturum esse, quam fideliter
memoriam nostræ amicitiae retineam,
praesertim cum hoc munusculum, si mo-
do tali nomine dignum censeas, unum
ex illis sit, *δία φίλοι φίλοι φίλοισι φίλοισι φίλοισι*
δίδουσι. Et ut hoc animo a me accipias, quo
te accepturum confido, amice adhortor
& rogo, mihiq; gratius facere nihil po-
teris. Vale foeliciter, mi Ioachime, &

A 2

ex me

ex me honorifice salutem dicito parenti
tuo clarissimo uiro, ὅς ἐστι μὲν νόστος, ὅστις
ἑσθιωτῶν, πῆξι δ' ἰσὰ ἰησδ. Vuitebergæ cir-
ca brumam, Anno 1553. Deus largia-
tur nobis per Filium suum Dominum
nostrum Iesum Christum, fœlicem in-
gressum in nouum annum,
& prosperum exitum,
A M E N.



IN DIE NATIVITATIS
DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI.

H Y M N V S.

DEVS pater qui filium
tibi coequalem patri
Aeternitate, & gloria
Misti in orbem desuper.

Certisq; testimonijs
Ostendis esse te DEVM.
Te predicamus & tibi
Grates libenter dicimus.

Quod tanta donas munera
Sed igne Spiritus tui
Accende nostra pectora
Ut predicemus Filium.

Rex ille factor omnium,
Quæ terra, quæ cœlum tenet,
Redemptor orbis extitit,
Vitamq; rursus protulit.

Obedijt patri suo,
Nostrumq; corpus induit.
Et uirginem puerperam
Fecit sibi matrem suam.

A 3

Et sicut

Et sicut à suo patre
Genitus ab aeterno sui
Imago patris splenduit,
Fuitq; semper filius:

Sic filius de uirgine
Progressus est mirabili
Modo, statuto tempore,
Sibi quod ipse elegerat.

Nihil uirilis seminis
Accedit, At uirgo manet,
Nam Spiritus, Rex gratiae,
Insedit ardens uirgini.

Et sicut à Fauonijs
Spirantibus plantæ uirent,
Sic castus aluus uirginis,
Verbo subinde ferbuit.

Et matris intra uiscera
Latens Deus, uerbum Dei,
Adiungit almo fœdere
Carnem sibi mortalium.

Mundum latet puerpera,
Nouusq; foetus uirginis,
Hunc sola scit puerpera,
Cui Gabriel prædixerat.

Elia

Elizabetha gestibus
Foetus sui notantibus
Deum, Dei matrem uidet,
Gaudetq; tanto germine.

Ambæ suum laudant Deum,
Quòd sit misertus omnium,
Et miserit natum suum,
Saluans genus mortalium.

Tibi Pater sit gloria,
Laus, ac honos per secula,
Cum filio simul tuo,
Simulq; sancto Spiritu.

A M E N.

ALIVS HYMNVS.

VERBUM, Deus quo condidit
Quæ tota mundi totius
Circumdat orbe machina,
En nascitur de uirgine.

Intacta uirgo, nesciens
Virum, parit nunc filium,
Qui saluat omne seculum,
Et monstrat ad coelum uiam.

A 4

Et

En tectus in feno iacet,
Praesepe fulget, & nitet,
In se Deum quod continet,
Lumen nitens de lumine.

Canit chorus coelestium,
Annuncians pastoribus
Natum Deum de uirgine,
Et Angeli laudant Deum.

Laudamus & te nos simul
Puer redemptor gentium,
O Christe Iesu Maxime,
Fili patris tui unice.

Te psallat orbis, et canat,
Linguam mouere qui potest,
Et mente dicat gratias,
Quicumq; non est impius.

Tibi puer sit gloria,
Perennis hymnus, & melos,
Virtus, honos, uictoria,
Cum patre, & almo spiritu.

A M E N.

HYMNVS TRANS

LATVS EX ANGELO

rum cantico, cap. 2. LUC.

Apparet igneus chorus
Cœlestium pastoribus.
Tuentibus noctu gregem,
Et nunciat rem maximam.

Natus puer de uirgine
En est sub æde paupere
In Bethlehem Dauidica,
Et uagit in præsepio.

Quis est puer? Magnus Deus,
Deiq; patris filius,
Saluator omnis seculi,
Iesus unde dicitur.

Processit è palatio,
Surrexit è summo throno.
Et unctus à suo patre,
Cucurrit accelerans uiam.

Egressus est, parens patri,
Vidit luem mortalium,
Et est misertus omnium.
Opemq; pressis præstitit.

AS

Ingressus

Ingressus est in uiscera
Matris, manentis uirginis,
Et induit substantiam
Carnis noue mortalium.

Hic robur omne destruit.
Quo mors ferox uos opprimit,
Regnumq; foelix erigit,
Et ex malo uos extrahit.

Iesus hic suauissimus.
Christus redemptor optimus,
Peccata uestra suscipit,
Patriq; sic satis facit.

Nihil nocere aculeus
Mortis potest nunc amplius,
Infernus attritus iacet,
Et roboris nihil tenet.

Gaudete læto pectore,
Carnem Deus nunc induit,
Fraterq; uester factus est,
De morte uos ut liberet.

Per secla finis nescia
Viuetis in regno Dei,
Et ut Deum nos cernimus,
Sic uos eum uidebitis.

Gaudete

Gaudete, grates dicite,
Laudate clementem Deum,
Vobis dedit qui filium,
Talesq; uoces edite.

Deo patri sit gloria,
Soli Deo sit gratia,
Qui filium suum dedit.
Ut de malis nos liberet.

Sit paxq; conscientijs,
Et omnibus mortalibus,
Omnes colant concordiam,
Et reprimant discordiam.

Letentur omnes, et Deo
Fidant, agantq; gratias,
Et in Deo spes hæreat,
Infixa firmo pectori, Amen

Pro

PRO FOELICI AVSPI-
CIO NOVI ANNI.

Annus abit, potuit quo nemo dicere uiuos
Nos magis in tantis uiuere posse malis.
Sed tamen est aliquis, qui nos defendere nouit,
Christus hic est, patris dulcis imago sui.
Huic igitur toto dicamus pectore grates,
Huic tribuat, quicquid uita superstes habet.
Tempora quæ uitæ nobis seruata supersunt,
Et quicquid superest, id pie Christe tuum est.
Nunc nos ingredimur, Deus hoc fortunet, in annū,
Quo noua restituant lumina Solis equi.
Dum prior annus abit, simul arma perire putassent,
Et noua connasci secula Sole nouo.
Heu mihi, cur eadem tetra restant bella malorum,
An prorsus Martis fulmina fine carent?
Stringit adhuc bellis gaudens Bellona flagellum,
Vix miseræ pacis nomen inane manet.
Et quod ad humanos sensus spectare uidetur,
Spes etiam pacis prorsus inanis abit.
Hic status est rerum, cœli sic astra mimantur,
Et superest mundi clauda propago parum.
Ventum ad supremum est, uix prosperiora sequentur,
Donec ad aduentum, iudiciu nq; DEI.
Officium tamen est nostrum sine fine precari
Sublatis manibus, pectore, uoce, Deum.

Ut nos in medio defendat turbine stantes,
Nec quoq; cum mundo nos perijsse sinat.
AD te Sancte Deus summum properamus asylon,
Fundimus & querulas supplice mente preces.
Non alium scimus, qui nos defendere possit,
Solus es, auxilio qui potes esse tuis.
Mitis ades miseris, & nos defende demceps,
Quantumuis totus mundus in arma ruat.
Nos inter miseros semper tibi collige coetum,
Qui te sincera religione colat.
Nec sine deleri tua pura dogmata uocis,
Et cohibe quot quot dogmata falsa docent.
Siste feros etiam uulda uirtute tyrannos,
Et statuas horam, qua ueniente cadant.
Nec tua peccatis mutetur gloria nostris,
Qui sumus ante tuum nil nisi culpa thronum.
Qui peccata tegit, quae fecimus, inspice Solem,
Atq; tui nati uulnera & bra uide.
Et si quando tetrus uitam perdamus in armis,
Hostis & effuso membra & cuore lauet,
Tu tamen in medio sis nobis sanguine praesens,
Menteq; nos caedem fac patiente pati.
Ut sic in media niteat praesentia strage,
Qua Deus in nobis conspiciende uites.
Hac te pro bonitate tua celebrabimus omnes,
Qui facis in sanctis facta stupenda tuis.
Laus tibi summa Deus, tibi debita gloria soli,
Tuq; sinas nostras nonnihil esse preces.

Quas ueniente nouo tibi nunc effudimus anno,
Annus ut hic fausto numine prosper eat.
Te duce foelicem quare sperabimus annum,
Te duce uiuemus secula plura DEVS.
Foelicem sperent credentes firmiter annum,
Qui Domino nouit fidere tutus erit.
θεω δοξα.

Nicolaus Selneccerus.

erius.

ant 18/5

ant

Pew. H. 1076, De

ULB Halle
004 584 260



3





B. M



MNI
NATIVITA
MINI NOTRI
CHRISTI
RIPTI

A
AO SEL
CERO.

IBERGAE.

5 4.

